34332

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE RUTA

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

VVILHELMO HENRICO

DUCE SAXONIAE IULIACI CLIVIAE MONTIUM ANGARIAE WESTPHALIAE ET RELIQUA

PRAESIDE

IO. HADRIANO SLEVOGTIO

HEREDITARIO in Ober-Roßla/

M. D. ANAT. CHIR. ET BOT. P. P. ITEMQUE MEDICO PROVINC. DUC. SAX.

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA MORE MAJORUM RITE CONSEQUENDI

ANNO MDCCXV DIE IX JAN.

IN AUDITORIO MEDICO

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTET

JESAIAS CURTIUS

BOLCOLUCO SILESIUS.

IENAE.

TYPIS GOLLNERIANIS.

49

LXIII

PRAEFAMEN.

QVamvis multi impigro labore magnisque ſumtibus univerſale *quoddam, & promiſcue omne morborum genus debellaturum medicamentum producere moliti ſint, nihil tamen eos hactenus egiſſe conſtat; fato aliquo conatibus eorum reſiſtente. Ne ſcilicet, talismodi Pharmaco reperto, ars noſtra, cum brevi humanæ vitæ curriculo comparata, merito ab Hippocrate* longa *dicta, anguſtisſimis limitibus coërceretur,* artisque, *id eſt habitus, ſecundum rectæ rationis dictamina agentis, dignitatem exuere cogeretur: cum quilibet ignarisſimus homo, tam inſigni arcano,* καὶ πᾶν ἀκειομένῳ *remedio inſtructus, tuto cauſas ſignaque morborum obiter habere, & a Medicaſtri ignarique Empirici ignominioſa appellatione tutus, feliciter omnibus medicari poſſet, fieretque ſic uno ictu nobilisſima, & cultores ſuos quondam in Deorum numerum extollens diſciplina, revera ſervorum, a natura talium, exercitium, quam ejus oſores malitioſe hactenus ſervile opus vocarunt, quia olim Romæ ſervos medicinam feciſſe audiverunt: quos tamen, in Græcia liberos & ingenuos natos, vi belli, in Romanorum ſervitutem redactos fuiſſe conſtat.*

Sed ſalva adhuc res eſt, nec habet Ars noſtra

ſalutaris, quod ſibi nobisque a πανακείαις timeat; cum ſupremr naturæ Moderatori haud placuerit, præter unicam vitæ arborem, *jam diu, cum ipſo Paradiſo, è medio ſublatam, uni alicui & ſoli ſublunari ſubſtantiæ* omnipotentem *facultatem concedere, ſed ſingulis creaturis, intra vaſtos terraquaërei circuli terminos incluſis, aliquas ſaltem vires, mortalium ægritudinibus ſuccurrendi, tribuerit.*

Nullam igitur cum illis rem habere volumus, quorum diuturnos conatus tandem perpetuum habendi deſiderium, fruſtrata ſpes, & familiaris rei dilapidatio *definiunt: illorum potius veſtigia lecturi, qui accuratæ rerum naturalium cognitioni ſtrenuam inveſtigationem ſalubrium auxiliorum jungunt; ut dudum nota per rationes & experimenta chimico-mathematica perficiantur, ignotorum autem qualitates, horum præſidiorum beneficio, in apricum educantur.*

Quem in finem mihi, honorabile nomen Doctoris Medicinæ *ambienti, licebit, loco ſpeciminis, a* GRATIOSISSIMA FACULTATE *imperati, ex ampliſſima materiæ medicæ penu*, RVTAM *in præſentia examinandam ſumere, &, in explicandis ejus polychreſtis qualitatibus, vires noſtras experiri, horumque moliminum felices ſucceſſus a* SVMMO NVMINE *devotis precibus efflagitare.*

§ I.

§ I.

PRimum inter homines Adamum cunctis animantibus ſua nomina impoſuiſſe, ex Geneſ. c. 2, diſcimus: quæ ut multi volunt, penitus naturam eorum expreſſerunt. Dolendum igitur eſt, eandem nuncupandi rationem non ad regnum vegetabile etiam continuatam, &, ea mediante, ignorantiæ poſterorum ingens lumen accenſum eſſe; quos, ut labili memoriæ ſuccurrerent, multis herbis, quarum vires ipſis innotuerant, talia nomina dediſſe animadvertimus, ut ea haud raro rei nominatæ compendioſæ definitiones ſint, & ſciagraphiam indolis ejus ſuppeditare valeant; ideoque vocum origines ſcrutantibus occaſio data ſit, circa materiam medicam quoque Philologiæ neceſſitatem commendandi. Cujus laudatiſſimi ſtudii conamina, quamvis non ubique optatum effectum ſortiantur, non prorſus inutiliter tamen nos in evolutione nominis RUTAE tempus terere ſinent.

§ 2. Ut Latium vocabuli hujus patriam aſſeramus, non

ſufficit, meliorum ſeculorum autores, illud uſurpantes, adducere; aut, per ἀντίφρασιν, a verbo *eruo*, quaſi herba non tam *eruenda*, quam *avellenda* & *decerpenda* potius ſit, ſecundum Palladium derivare: cum metrica brevitas verbi longitudini nominis repugnet. Nec rationi magis convenienter a *rure* aut *rubedine* deducitur; eſt enim, quam nos deſcripturi ſumus, hortorum magis, quam camporum incola, & caules quidem ſubinde, ubi ſoli obvertuntur, leviter & obſcure rubentes, flores autem aureos foliaque viridiſſima alit.

§ 3. Rectius igitur ex Græcia natales ejus repetuntur: quod equidem *paucos ſcire* Caſp. Hoffmannus, de officinal. pag. 439, ſolum Athenæum citans, aſſerere non dubitat. Sed paſſim quondam, Varrone id teſtante, *Ocymum, mentha atque ruta græcis nominibus appellata ſunt*, tributaque vox ῥύτης & ῥυτῆς, ſecundum Nicandrum, de Theriac. potiſſimum in Peleponneſo herbæ, quam tota Græcia πήγανον vocavit.

§ 4. Hanc Voſſius in Etymol. a ῥύω & ῥύομαι, *libero, ſervo, traho*, derivat, quod, ſecundum *Dioſcoridem*, tanquam ῥύτωρ, *Servator valetudinis*, vi ſua alexipharmaca corpora adverſus morbos malignos tueatur: vel, quod aliis magis placet, ſit ῥυτὴρ *habena* & *frænum* pravæ concupiſcentiæ, cui, ſemen minuendo, & œſtrum venereum cohibendo, capiſtrum injiciat.

§ 5. Haud diſſimilem huic ultimæ ſignificationi denominationis rationem Plutarchus τῷ πηγάνῳ (per quod *Rutam* noſtram Hippocrates, Theophraſtus Ereſius, Dioſcorides, Galenus, & plerique Græci indigitarunt) tribuit, L. 3, Sympoſ. Quæſt. 1, quia πήγνυσι διὰ θερμότητα τὸ σπέρμα, *per calorem ſemen figit & coagulat*; ut lixivia, & alios humo-

mores, glutinoſum quid continentes, ab igne, per humidi evaporationem, ſpiſſos & immobiles reddi videmus.

§ 6. Quamvis autem Plutarchum ex aliorum magis, quam ſua ſententia ita locutum fuiſſe, vocula φασὶ, *ut ajunt*, diſcurſum ordiens, indicet, inter alios tamen Nicander quoque in Schol. in Alexin ſcribit: Τὸ πήγανον, παρὰ τὸ πήγνυσθαι τὴν γονὴν, ἐπισκεπτικὸν τῆς συνουσίας εἶναι. *Rutam, per ſeminis condenſationem, coitus impedimentum eſſe*, quibus verbis tamen, quaſi priori etymologiæ parum fidens, mox addit: ἢ διὰ τὸ ἐν πάγοις φύεσθαι, *vel quia in collibus naſcitur*: quod ipſum tamen non tam de noſtra, quam montana ſive πηγανίῳ dici poteſt.

§ 7. Refert equidem Caſp. Hoffmannus l.c. inter græca ſynonyma πηγάνιον, & ita hortenſem pariter latifoliam ac tenuifoliam, iſta nobiliorem, appellari ſcribit: ſed aliter ab Ereſio docemur, cui πηγάνιον ſylveſtris rutæ ſpeciem conſtituit, quam Theodorus Gaza *Rutulam*, Lobelius in Adverſ. *Peganium Narbonenſium*, Caſp. Bauhinus *rutam ſylveſtrem minorem*, Dalechampius *montanam* vocant, habetque Jac. Theodorus montanæ ſive ſylveſtris majoris & minoris figuras, ubi, præter differentiam magnitudinis, diſcrimen nominis eſt, quod hæc abſolute πηγάνιον, illa autem πηγάνιον ὄρεινὸν ſalutetur.

§ 8. Nolumus pluribus appellationibns chartam implere, quandoquidem apud Tragum, Theodorum, Schrœderum & alios plurima græca, arabica & alia, imo barbarica ſynonyma, ſylveſtri pariter ac hortenſi paſſim tributa, leguntur, ex quibus ſolum εὔσιμον *Nicandri* & ἰέρ. φιον *Apuleji* huc trahimus. Germani, exemplo Latinorum, græcum ῥύτη ad ſuum idioma accommodantium, herbam Raute vocant, qua ſimili libertate reliqui Europæ populi uſi ſunt; ut inde Hiſpanorum *Ruda* & *Arruda*, Gallorum

Rue,

Rue, Italorum *Ruta*, Anglorum *Revve*, & Belgarum *Ruyte* nata fuerint.

§ 9. Cur noſtratibus Wein-Raute/ Belgis *VVynruyte* audiat, prorſus obſcurum eſt, cum in nullo tertio cum vite aut vino conveniat, nec vinearum æque incola ſit. Rectius Feigen-Raute vocaretur, ſi, quod ex Theophraſti H. Pl. L. 7, c. 6, Dioſcorides, Plutarchus, Plinius & alii excerpſere, Rutam, juxta ficum plantatam, ipſiusque cortici inſitam, lætius non ſolum vigere, ſed etiam a dulci arboris ſucco acrimoniam mitiorem acquirere, veritati reſponderet, nec a Trago, Herb. P. 1, c. 22, & Rolfincio, de Vegetab. L. 2, ſect. 1, c. 13, in dubium vocaretur.

§ 10. In Patriæ noſtræ locis quibusdam Rutam vocant Todten-Kraut/ quia pauperes feretra & defunctorum corpora hac herba exornant, cum perpetuo virore ſuo immortalitatis ſymbolum conſtituat, & ſimul ingratum cadaveris fœtorem corrigat.

§ 11. Qui eam *Viperalem* cum Trago, quod venenis animalium reſiſtat, dici putant, de ea minime intelligendi ſunt, quæ in Macedonia ad Aliacmon fluvium naſcitur; cum iſtum tractum viperis refertiſſimum, herbamque eſitantibus deleteriam Dioſcorides ſcribat. c. 44. l. 3. Ob virtutem etiam ſine dubio Anglis, teſtante Schrœdero Pharmac. Med. Chim. l. 4. claſſ. 2. *The herb of grace*, *herba gratiæ* dicitur; cum, ad odorem & ſaporem reſpicientibus, nonniſi per ἀντίφρασιν ita ſalutari queat. Quæ graveolentia tanta eſt, ut a quibusdam inter τεκμήρια plantæ hujus referatur; quam tamen γνήσιον ſignum diagnoſticum minime præbere, tenella germina, a Bodæo a Stapel, in Not. ad Theophr. *haud inſuavia* obſervata evincunt, ut ita nihil obſtet, quo minus Ruta ſuaveolens detur, ac dulce abſinthium invenitur.

§ 12.

§ 12. Superata, nomenclatura, videndum, quodnam genus in *definitione* rutæ ponendum ſit. Neque enim ea inter *arbores* numeranda eſt, quamvis Joſephus peculiari capite, 22 ſcilicet, l. 7, de Bell. Jud. & ex hoc Theodorus pag. 387, ſui Herbarii, rutam diu in Regia Herodis Macherunt cultam, & poſtmodum a militibus exciſam, maximam ficum, quas ibi ſatis amplas & proceras extitiſſe conſtat, æquaſſe ſcribat, & Rajus in Append. Tom. 2, Hiſt. Pl. pag. 1889, ſe in Catalogo quodam *arboreæ latifoliæ* nomen legiſſe, memoret: vix tamen hæc teſtimonia plantam noſtram arborum claſſi inſerent. Neque enim, præter Rajum, ullus Botanicus *ſponte* arboreſcentis mentionem facit; nec quodcunque vegetabile arboreſcit, ſtatim arbor eſt: niſi *malvam* quoque & ſimiles grandeſcentes plantas arbores ſtatuere voluerimus. Quibus accedit, quod illa Macheruntica artis magis & cultus, quam naturæ opus fuerit, ut monſtroſam molem acquiſiverit. Qualem noſtris in terris etiam huic herbæ Theodorus promittit, ſi, a frigore defenſa, in loco apto alatur, ramuli laterales *cultro argenteo* (ferrum enim eam tolerare negat) ad radicem usque reſecentur, fœminæ menſtruales a contactu ejus arceantur, nec ea in flores vires ſuas diffundere permittatur. Specimen per culturam auctæ magnitudinis extat in Catalogo Plantar. horti Altdorffini, & Theſ. Pharm. Schœderi.

§ 13. Qui cum Dodonæo, in Stirpium Hiſtor. Pempt. 1, p. 119, & Val. Cordo, in Annot. ad Dioſc. I. Bauhino in Hiſt. Chabræo in Sciagr. & aliis eam *fruticem* vocant, haud bene ad Dioſcoridis autoritatem provocant, quem de *ſylveſtri ruta* Cappadociæ, *Harmala* dicta, loqui, caput 45, lib. 3, oſtendit. Nec ſola *Theophraſti* ἀκρεμόνος appellatio ex herba fruticem faciet; cum ſubinde hujus vocabuli ſignificatio amplitudinem admittat, ut etiam herbas

B gran-

grandiores & perennantes, quæ nimirum per unam alteramque hyemem ſuperſtites manent, nec quotannis ex ſemine novæ naſcuntur, comprehendat. Quarum duæ ſpecies dantur, *una*, quæ ſubſtantiam ſuam, extra terram eminentem, inſtante hyeme amittit, & ſequente anno ex radice adhuc integra propullulat: *altera* vero, cujus individua a tempeſtatis injuriis inſuperabilia manent, aut, ſi omnino folia perdunt, tamen ſtipitem & ramos retinent, & propterea *ſuffruticum* titulo digna judicantur.

§ 14. Hoc ſenſu nobis perinde erit, utrum Ruta herbæ *plene perennantis*, vel *ſuffruticis* potius nomen gerat; modo ita deſcribatur, ut ab omnibus aliis plantis diſtinguatur, quibus eadem appellatio, cum annexo Epitheto, interdum ſatis inepto, temere ab herbariis impoſita fuit. Quod ipſum, ut, quam fieri poterit clariſſime præſtemus, deſcriptionem radicis & herbæ, ex Dodonæo, Cordo, & Lugdunenſibus, floris autem & fructus iterum ex Cordo, hinc Rajo, Hermanno Rivino, Volckamero atque Tournefortio, quousque autophiæ reſpondent, dabimus.

§ 15. Radice nititur, quæ ad differentiam bulboſarum, tuberoſarum, ſquamoſarum, dentatarum & granulatarum, *fibroſa* dicitur. Hæc intus lignea cum poroſa medulla, corticeque carnoſo & flaveſcente obducta, ex uno capite, quodammodo fuſiformi, in numeroſas fibras majuſculas, hinc in minores, & tandem in capillaria fila diſtinguitur, per quorum oſtiola & laterales poros aquam, omnibus plantis indifferens nutrimentum, haurit, eamque ope ſuæ texturæ, per ætheris concurrentem motum, ex ſapientiſſimi Creatoris inſtituto, ad uniuſcujusque corporis ſpecialem diſpoſitionem determinatum, ita alterat, ut, tanquam per ſingularem coctionem & fermentum, ſalinæ & ſulphureæ particulæ, antea ibi non deprehendendæ, generentur,

&

& per odorem gravem, amarumque & ingratum ſaporem ſenſibus noſtris ſeſe ſiſtant.

§ 16. Ex capite radicis emergit CAULIS, ramoſus & folioſus, isque modo *ſimplex*, ut in arboribus, ubi caudex & truncus audit; modo *bifidus* vel *trifidus*, qualis fruticum eſt; imminuitque tunc multitudo eorum crasſitiem ac proceritatem; ut, cum ſimplex digiti diametrum æquet, & ex feraci ſolo ſponte ad duos cubitos adſurgat, contra ea in furcas diviſus, multum infra hanc magnitudinem ſubſiſtat, magisque in amplitudinem diffundatur. Subſtantia interior eſt, ut in radice, mollioris ligni, ex fibris & tubulis ſucciferis aëreisque coagmentata, medulla ſpongioſa utriculari repleta, buxei coloris, cui cortex inſternitur, in librum, parenchyma & cuticulam griſeam facile dividendus, quem itidem ex fibris, tubulis, utriculis, ſimilibusque, nonniſi per microſcopia cognoſcendis machinis componi, admiranda Hookii, Malpighii, Grevvii & Leevvenhœkii perſpicacia nos certiores facit.

§ 17. Diximus caulem ramoſum, & foliis plurimis inſtructum eſſe, in quorum figura deſcribenda Autores admodum diſcrepantes deprehendimus. Rajus enim & P. Hermannus ea *in multos lobos ſeu ſegmenta diviſa* eſſe ſcribunt, ſine dubio Cordum ſequentes, qui in Annot. in Dioſcorid. ita loquitur: *Folia omnibus ramis adnaſcuntur, in longis pediculis incerto ordine diſpoſita, parva, in plures & inæquales partes ſecta.* Quibus verbis ſe congeries illas 5 ut plurimum vel 7 carnoſorum lobulorum, per unam coſtam ſive nervum connexorum, pro foliis habere indicat, quarum 6 vel 7 fere ita ex qualibet ala, a ramis caulium prodeunte, germinant, ut eorum duo vel tria paria, veluti digiti explicatæ manus, e re-

 gione

gione ſibi opponantur, unumque ſingulare extremum locum occupet.

§ 18. Ab hac deſcriptione recedit *Rob. Moriſſon* manifeſte, cui Hiſt. univerſ. Oxon. part. 2, ſect. 5, c. 12, pag. 506, Ruta *folia alata habet, binis vel ternis conjugationibus coſtæ mediæ affixa, extremum claudente folio trifoliato.* Ex quibus verbis, cum eadem p. 507 repetat, patet, ipſi folium conſtituere, quod priores Botanici *partem* ejus vocarunt, & communiter *ſegmentum* tantum & *lobulus* folii audire ſolet, quando de fumaria, apio, ſimilibusque digitatis, lobatis & profunde ſectis ſermo eſt. Inprimis autem obſcurum videtur, quid per *folium trifoliatum, extremum coſtæ claudens*, velit, cum ex mille extremis lobis, vix unum triſulcum, pleroſque autem vel ſimpliciter obtuſos, vel leviter ad cordis figuram inciſos, inter reliquos autem, paria conjunctionum Moriſſonis formantes, ſæpenumero, per luſum naturæ, auritos quosdam offendamus. Conatus quidem eſt Sculptor folia ejusmodi trifoliata repræſentare, ſed negotium ipſi minus feliciter ceſſit, ut, cum Lobelii, Matthioli, & Theodori pulchras Icones imitari potuiſſet, adeo deformem figuram herbæ & floris Rutæ pinxerit, quam nec Theophraſtus quidem agnoſceret.

§ 19. Antequam a *foliis* recedimus, verbo tantum innuimus, Cordum minus clare *magnitudinem* eorum definiviſſe, quando maximæ parti eorum *longitudinem ſemunciæ, latitudinemque paulo minorem* tribuit: cum, in tanta diſparitate figuræ & extenſionis eorum, ſæpe recens nata dudum menſuram nominatam æquent, adultiora autem eam multum ſuperent, ut interdum unicus lobus folii ad duos pollices & ultra extendatur, tener & anguſtus, ut Serenus Poëta occaſionem inde nactus ſit, germina Rutæ *graminea* vocare: niſi forſan hic ad colorem potius ob-

ſcure

ſcure viridem ſive glaucum, ex viridi & coeruleo miſtum, reſpexerit. Hunc vero oculis gratum eſſe ajunt, quod luminis radii, inde reflexi, organon mitius afficiant, quam ex alba, rubra, aut citrina ſuperficie reſilientes. Eſt præterea iſte color conſtans, & per hyemem durabilis; utpote a ſtructura ſulphuris reſinoſa, & non facile difflabili, qualis in violis ac liliis eſt, dependens, quæ etiam foliis ipſis perpetuitatem conciliat, ut non prius marceſcant, quam alia nova, eorum locum ſuppletura, progerminaverint.

§ 20. Retulerat Moriſſon, characterem Rutæ formaturus, *foliorum figuram*, in antecedentibus deſcriptam, una cum *odore inſuavi* inter notas ejus eſſentiales, quibus Rajus *diſſectionem eorum in plures lobos*, & *colorem glaucum* addiderat, non ſine aſſenſu doctorum virorum, P. Hermanni, Volckameri, & aliorum, quibus non inutile videtur, in enarratione ſignorum diagnoſticorum, etiam ad folia plantæ reſpicere: cum indicia, ex ſolo flore & fructu petita, non ubique ſufficiant, ipſeque Tournefortius non tantum abſinthium ab abrotono & artemiſia diſtincturus, a floribus recedere cogatur, ſed in harmala quoque a ruta, & multis aliis invicem diſcriminandis, ad herbam totumque habitum ſimul conſiderandum, lectorem ableget. Haud male tamen ambo iſti inſignes Botanici, primo loco nominati, ab eo in Element. Bot. p. 224, notantur, quod Rutæ characterem ſuperfluis notis onerare voluerint; cum floris & fructus peculiaris habitus eam ab omnibus aliis herbis, nomen ejus injuſte affectantibus, diſcriminet.

§ 21. Erit autem *character* talis: Flos perfectus, ſimplex & regularis, *ut plurimum* tetrapetalus, id eſt, ex quatuor diſtinctis coloratis lamellis, cochlearis figuram referentibus, & calyci tetraphyllo inſidentibus conſtructus, ex

 quo-

quorum centro piſtillum quadrangulare, ex lata baſi in obtuſum faſtigium & brevem ſtylum deſinens, octo ſtaminibus ſtipatum ſurgit, quod tandem in vaſculum coriaceum ſiccumque, exterius, tanquam ex quatuor diſtinctis capſulis compoſitum eſſet, tetragonum apparens, intus autem communi ex parte cavitate præditum, abit, in qua multa ſemina, renali irregulariq; figura prædita continentur.

§ 22. Florem Rutæ *perfectum* vocamus, ſecundum receptum loquendi uſum; cui tantum ſuis petalis inſtructi tales audiunt, *apetali* autem, ſoloque piſtillo ac ſtaminibus, calyci incluſis, pollentes *imperfectis* accenſentur. Non ſine animadverſione quidem Raji, in Meth. plant. emend. contumelioſo imperfectionis vocabulo modeſtius prædicatum ſubſtituentis, ut ſtirpes, quibus aliquid, in aliis exiſtens, a natura denegatum eſt, imposterum *inferioris ordinis* ſalutentur, herbæque in *floriferas* & *flore deſtitutas* diſpeſcantur.

§ 23. *Simplex* eſt flos, cum neque natura ſola eum *ex floſculis*, ut jaceam, ſcabioſam, tanacetum &c. nec *ex ſemifloſculis*, ut hieracium, cichorium, ſcolymum &c. nec ex *utrisque his ſimul*, ad normam bellidis, helenii, jacobeæ, &c. conſtruxerit: nec eadem, ab artifice adjuta, numerum petalorum, ut in caryophyllis, ranunculis, papaveribus &c. centum aut mille acceſſionibus multiplicaverit; aut florem ex flore, quod in auriculis, ſtramonea, &c. fieri miramur, naſci voluerit.

§ 24. *Regularis* audit, cum nulla inter petala magnitudinis aut figuræ diſſimilitudo occurrat, ſed dextrum ſiniſtro, anteriusque poſteriori prorſus æquale ſit. Secus ac in mille aliis contingit, ubi v. g. in papilionaceis vexillum a carina, & ab ambolus hiſce alæ longiſſime recedunt: in viola & delphinio unum ex quinque petalis, in

carda-

Cardamindo autem calyx in caudam, quam calcar vocant, excurrit; orchis muſcas, aves, homunculosque utriusque ſexus repræſentat: ut labia, rictus, galeas, calceos, idque genus alia, floribus a Botanicis afficta, taceamus, quæ ipſis *irregularium* & *anomalorum* cognomina conciliant.

§ 25. Vocavimus florem *ut plurimum tetrapetalum*: Quamvis enim natura in numero petalorum ſæpe inconſtans ſit, & frequentiſſimum illum quaternarium ad *quinarium*, & ultra extendat, nec proinde ipſe Tournefortius, Inſtit. rei herb. p. 257, florem inter *cruciformes* referre audeat, cum tales ſemper tetrapetali ſint: nemo tamen talismodi *exceſſum*, ſi flos pentapetalus, aut hexapetalus fuerit; aut *defectum*, ſi tripetalus Lobelio in Advers. occurrerit, monſtris annumerabit: cum tunc totus fructus ita comparatus eſſe ſoleat, ut nil irregulare ibi obſervetur, &, ſecundum numerum petalorum floris, non ſolum calyx triphyllus, tetraphyllus, pentaphyllus, aut hexaphyllus viſatur, ſed ſeminis quoque receptaculum in tres, quatuor, quinque vel ſex angulos conſtanter diſtinguatur.

§ 26. Præter numerum petalorum, figura etiam eorum, utpote ad characterem non parum faciens, conſideranda venit. Quod ſi enim illa tantum, ſecundum Cordum, *cochlearis modo concava, ſurſumque ſpectantia* eſſe dixerimus, tunc præ ceraſis & multis aliis nil peculiare exhibebunt. Sed *ungue* inſuper longiuſculo, tanquam manubrio inſtructa ſunt, & ſecundum longitudinem, inſtar *carinæ*, extrorſum protuberant, marginemque leniter *undulatum* habent. Hunc apud Tournefortium prorſus *laciniatum* ſive *villoſum* cerminus, procul dubio ex errore pictoris, in *Rutam Chalepenſem* lapſi, cujus petala *villis ſcatere*, clariſſimus Autor ex Moriſſonis Hiſt. Oxon. p. 508,

&

& H. Lugd. Bat. notavit, cum nullam antea villorum aut laciniarum in generali characteris deſcriptione mentionem fecerit.

§ 27. Totum florem comprehendit *calyx*, ex viridi luteus, qui foliis ſuis brevibus & acuminatis petalorum numero reſpondens, his, antequam explicantur, & adhuc tenella ſua extrema introrſum curvant, ita ſe applicat, & eorum latera coarctat, ut ex ſphærico capitulo ut plurimum *tetragonum*, pileum Jeſuiticum affabre referens, hinc & *pentagonum*, imo, pro re nata, *trigonum* & *hexagonum* evadat.

§ 28. Ex centro calycis aſſurgit, loco *piſtilli*, corpus, pro illius foliorum numero, anguloſum, ex latiuſcula baſi in truncatum conum deſinens, ex cujus vertice brevis gracilisque ſtylus prominet. Color eſt χλωρὸς, qualis calycis, officium autem, ut uterum, multis embryonibus fœtum, referat; dum rudimenta futurorum ſeminum complectitur, quæ a ſpermate maſculino, ex ſtaminibus trans brevem ſtylum, tanquam uteri vaginam, inſpergendo, ſuum vigorem & prolificam facultatem præſtolantur; quam nunquam adipiſci ajunt, ſi immaturæ ſtaminum antheræ avellerentur.

§ 29. Loquimur in præſentia ad eorum mentem, qui non minus in vegetabili, quam animali regno ad fœcunditatem duplex ſemen convenire ſtatuunt; unum fœmininum, exile ſcil. ſeminis initium, quod *ovum* & *embryonem* vocant; alterum maſculinum, per quod ſubtilem pollinem, ex ſpongioſis lingulis & capitulis ſtaminum excidentem intelligunt. Vid. celeberr. Rud. Jac. Camerarii elegans de Plant. ſexu epiſtola.

§ 30. Anſam ita ſtatuendi, inter alia, doctiſſimis viris conſtans naturæ ordo dedit, ut multi flores petalis &

caly-

calyce, nulli autem piſtillo & ſtaminibus carerent, ne ſcilicet materia fertilitatis ipſis negaretur. Habet igitur etiam Rutæ flos ſufficientia virilis genituræ inſtrumenta, dum ex ima piſtilli regione fila teretia, lutea, globuloque criſpo & pulverulento ornata prodeunt, quæ bis numerum petalorum æquant, ut in tetrapetalis eorum octo, in pentapetalis decem, & ſic porro extent; quæ, ut Cordus l. c. ait, ita in latitudinem reſupinata jacent, ut medius eorum numerus intra cavitatem petalorum porrigatur, reliqua autem, horum ſpatiis interpoſita, emineant. Quæ ſingula, deficientibus hoc anni tempore vivis florum exemplaribus, ex nitidiſſima Tournefortii icone clariſſime cognoſci poſſunt.

§ 31. Cum hæc omnia ſuccedente tempore perierunt, ſolum *vaſculum ſeminale* ſuperſtes manet, quod, ex piſtillo natum, figuram priſtinam & colorem valde mutat. Fit enim ventricoſum, & in ſuperiore parte anguloſum, inſtar fructus evonymi. Tot enim tubercula obtuſa, quæ anatomici maſtoidea vocant, protrudit, quot petala in flore fuerunt, ut trigonum, tetragonum, pentagonum, hexagonumque evadat. Subſtantia hujus pericarpii eſt, ſec. Volckamerum, *membranaceo duriuſcula*, aliis *coriacea*, &, ad differentiam baccæ pulpoſæ, ſicca audiens, coloris obſoleti, fere ut corticis granati eſſe ſolet. Cavitas ab Hermanno in cellulas, apicibus externis reſpondentes dirimitur, talemque plerique alii ſtatuunt. Tournefort fructnm ſubrotundum, utplurimum tetragonum, ex quatuor capſulis, axi affixis, componi ſcribit. Verum accuratius rem ipſam perluſtranti, cellulæ non adeo parietibus ſuis, ad fundum vaſis deſcendentibus, circumſcriptæ occurruut, quo minus interior cavitas communis maneat: id quod tam figuræ totius vaſis aperti, quam capſularum ſeorſim, a lauda-

tiſſimo Autore exhibitarum, cochleasque aut cucurbitulas veterum ſcarificatorias referentium, aperte monſtrant.

§ 32. Ejusmodi terminis includuntur multa *ſemina* exigua, nigricantia, incertæ figuræ, ut renes & alia corpora polyedrica exhibeant; quæ ab initio placentæ, unde ſuum nutrimentum hauriunt, affixa hærent, poſt adeptam maturitatem autem libere magis vagantur, donec ex ſponte dehiſcente aut rupto vaſculo excutiuntur.

§ 33. Fuimus in explicatione characteris ad nauſeam B. L. prolixi, cujus patientia abuti videremur, ſi, ad conſtruendam definitionem, huic, quæ in ſuperioribus de radice & totius plantæ habitu, ad ſuffruticis ſpeciem comparato, adduximus, inſerere, & recenſitæ floris atque fructus delineationi mox temperamentum, multiplicemque uſum annectere vellemus: cum id potius agendum nobis ſit, ut nomen Rutæ a confuſionis plena homonymia liberemus, quam eſſentialium, & non niſi ab Adamo expectandorum nominum defectus peperit, hinc genuini characteris ignorantia, & inde nata infræna herbis nomina imponendi libertas aluit, cæcaque tandem autoritatis veterum veneratio ad monſtroſam ambiguitatem amplificavit.

§ 34. Rediit igitur diffuſus Rutarum numerus ad pauciores ſpecies, ut earum, hodie cognitarum, *quatuor* tantum apud Rajum, in Hiſt. Pl. p. 874, totidemque in Tournefortii Elementis, ſed non eædem legantur; quibus poſtmodum aliæ acceſſerunt, ut in Inſtitutionibus octo nominentur, quas nimirum veras, & ab aliis diſtinctas eſſe credimus. Prima eſt *hortenſis* latifolia J. B. altera anguſtifolia Tab. hinc duæ *ſylveſtres*, *major* & *minor*, totidemque Chalepenſes, una latis, altera teneris foliis, utraque

vero

vero florum petalis villoſis prædita occurrunt, quibus ex Bocc. Mul. *Ruta montana ſpinoſa, coriandri folio*, & *ſylveſtris latifolia Hiſpanica* adduntur. Quamvis enim ibi etiam *Ruta hortenſis latifolia, arbuſculæ ſimilis*, ex C. B. Pinace inveniatur, non magis tamen ea peculiarem ſpeciem conſtituere videtur, quam Macheruntica & Francofurtenſis ſuperius memoratæ, quibus illa, ex cujus ſtipite Rajus baculum ſatis grandem, Hiſt. Pl. p. 878, vidit, jungi meretur.

§ 35. Cum autem in officinis potiſſimum *hortenſis latifolia* & *anguſtiolia* uſurpentur, utpote temperamento mitiori, quam *ſylveſtres* præditæ; ideo de hiſce potiſſimum hactenus egimus, & poſthac locuturi ſumus, ſi prius, vi characteris, a veris Rutis ſpurias diſtinxerimus.

§ 36. Inter has primo occurrit *Harmala*, Harmel-Raute/ ſylveſtris herba, ab utroque Bauhino Rutæ nomine digna judicata, ut proinde non ſolum apud Schrœderum, ſed etiam Rajum ipſum, quintum inter ſpecies locum, ſub nomine *Ruta ſylveſtris flore magno albo*, acceperit. Sed recte Theodorus & Tournefort peculiare caput ipſi aſſignaverunt. Habet enim florem pentapetalum, ſtellatum, vel, ſi mavis, roſeum, petala ſimplicia acuta, piſtillum turbinatum cum longo ſtylo, vas ſeminale ſubrotundum, fere trigonum, & intus in tres capſulas diſtinctum, in quibus ſemina oblonga mucronata jacent. Cur Tournefort hiſce notis folia, alterno ordine diſpoſita, junxerit, non intelligimus; cum in veris quoque Rutis ita naſcantur, & reliqua ſigna diagnoſtica ſufficiant.

§ 37. Minori labore *Ruta baccifera*, Beer-Raute/ cum rectius C. Bauhino Jasminum luteum bacciferum, J. B. autem Trifolium fructificans, quam Ruta trifolia, ſolique Geſnero ruta capraria Gallorum audiat, excluditur, herba ſcilicet florem pentapetaloidem, & fructum pulpoſum μονοπυρηνὸν alens.

§ 38. Longe ineptius tres *Scrophulariæ* illæ, latifolia nimirum filicis modo laciniata C. B. & tenuifolia Dodonæi, una cum minori Moriſſonis *Rutarum caninarum* appellationem gerunt; cum florem anomalon, & ſemina valde minuta in vaſe bicapſulari conico foveant.

§ 39. Cur *Galega Rutæ caprariæ* apud Matth. Lacun. Caſt. Durant. Geſner. &c. gerat, difficile eſt intellectu, cum herba ſiliquifera ſit, & papilionaceum florem gerat.

§ 40. Nec *Oſmunda* Tournefortii foliis lunatis, quam C. B. Lunariam racemoſam, a figura foliorum & fructificandi modo, alii aliter vocant, *Rutæ lunariæ* aut *jecorariæ* nomen habere poteſt, utpote flore viſibili carens, & ſemina ſua in racemos ſive botros, unde etiam abſolute Botryitis, & Lunaria botryitis ſalutatur, ex ramulis pronaſcentes, congerit.

§ 41. Tolerabilior eſt eorum opinio, qui *Adiantum album Loniceri* Rutæ nomen uſurpare patiuntur; cum aliqualis ſimilitudo foliorum excuſationem ipſis ſuppeditet, quamvis character diverſiſſimus ſit. Cujus intuitu miramur Tournefortium, in nominibus inveniendis permutandisque alias ſatis facilem, huic herbulæ, ſemen ſuum, ſine flore prævio, in dorſo folii gerenti, *Rutæ murariæ* titulum, ipſi prorſus improprie a Dodonæo, Gesnero, & C. B. tributum, itidem imponere maluiſſe, quam aliud, vel plane indifferens, nilque peculiare ſignificans nomen, ut filix, lonchitis &c. eſſe ſolent, vel ſaltem eſſentiæ plantæ minus reluctans in forum botanicum adducere: cum tamen alibi nullus dubitaverit, nomina, dudum per ſecula celeberrimis herbariis familiaria, in alia, eaque vel prorſus nova, vel iſtum ſenſum antea non habentia transformare, ut v. gr. loco *Acaciæ Americanæ, flore pulcherrimo* Pointiana,

Na-

Naſturtii Indici Cardamindum, *Alſina baccifera* Cucubalus, *Lyſimachia corniculata* Onagra, *Ruta lunaria* Osmunda, & ſic in centum aliis mutata vocabula legantur.

§ 42. Reſtant, quantum nobis innotuit, *Thalictrum* & *Fumaria*, itidem, propter *herbæ* figuram, *Ruta* ſalutata, ita quidem, ut a loco natali illud *Ruta pratenſis*, Wieſen-Raute / hæc autem Feld-Raute & wilde Raute audiat. Cum tamen ibi ut plurimum ſex acuta petala & plurima ſtamina, capſulasque monoſpermas; hic autem, poſt florem irregularem & caudatum, ſemina in vagina inveniamus.

§ 43. Reducto jam æquivoco rutæ vocabulo ad genuinum valorem, noſtræ ſaltem herbæ competentem, operæ pretium eſſet, *patriam* ejus indicare: cum credibile ſit, eam non æque a prima mundi origine in hiſce terris ſponte proveniſſe, ſed aliunde in hortos noſtros translatam, & climati tandem adſuetam, tanquam indigenam, propagatam eſſe, ut jam nullo in Germaniæ tractu ſine cultu reperiatur. Citat equidem Matthiolus in Dioſc. p. 541, agrum Geritienſem, & montem Salvatinum, Cluſius Madritium & Guadalajara, alii Alexandriam & Caſtellum novum, alii Græciam Ægyptumque: ſed, ſi recte eorum mentem percipimus, de ſylveſtri potius, aut Harmala, quam hortenſi loquuntur. Ut tandem probabile videatur, ſylveſtrem per cultum in hortenſem degeneraſſe. Tales enim metamorphoſes alias quoque herbas & arbores toto die experiri videmus, ut nemorenſis plantæ habitus aſper & acerbi fructus, in horto, a mutato loco & atmoſphæra, viſui linguæque ſuaviores evadant, rurſusque multæ arbores, per inſitionem *manſuefactæ*, ut hortulani loquuntur, ſi poſtmodum per ſemina ſua propagantur, feritatem aliquam aſſumant. Crebrius hoc fatum Tulipæ, Tunicæ,

Viola matronalis &c. experiuntur, ut,per aliquot annos in eodem loco ſine cultu neglectæ, omnem ſuam per artem acquiſitam pulchritudinem deponant, & tandem priſtinam ſimplicemque faciem referant.

§ 44. Mutationem ejusmodi in deterius noſtra non æque metuendam habet,cum, ſolo macro contenta, lætius fere ab adſperſo cinere & laterum farina adoleſcat, quam in pingui terra. Propagatur etiam facillime vernali tempore per ſemina, & ramulos decerptos, terræque ſine ulla præparatione ac cerimonia inſertos; ut nec *furto*, nec *maledictionibus* ibi opus ſit. Refert enim Theodorus, ſuppreſſis autorum, inter quos Palladium eſſe putamus, nominibus, a quibusdam tenellas plantulas furto comparari, ut felicius creſcant, & ſemen cum execrationibus, eundem in finem, terræ mandari: inepto certe & impio inſtituto. Quod ut nonnulli excuſent, dicunt, Rutæ germina cineribus, per lixivium, inde paratum, ſale ſuo orbatis,admodum delectari, hos vero a chimicis *caput mortuum* & *terram damnatam* vocari: jam autem inter *damnatum* & *maledictum* exiguam differentiam intercedere,& inde factum eſſe, ut per hunc terminum technicum ab imperitis maledictiones, execrationes, & neſcio quæ non alia mala verba, perperam intellecta ſint.

§ 45. Cum Rutam *ſolum macrum*, per cineres, & laterum pulverem tale factum, amare conſtet, illam notabilem a nativa indole receſſum feciſſe oportet, quam πολυποικιλόγραφος Paulini ex carpionis, XI fere libras pendentis, & ab *Avo* ſuo materno capti, capite natam fuiſſe, in Append. Dec. 2, Eph. Germ. Ann. V, Obſ. 113, p. 70, ſcribit, fidemque dictis per *Anagallidem cœruleam* magno gammaro, *Fumariamque* caudæ lucii piſcis, nec non

Bilo-

Piloſellam ranæ, aliasque plantas diverſis animalibus innatas comparare nititur.

§ 46. *Florendi tempus* incidit communiter in Junium, Julium & Auguſtum; matureſcitque ſemen paulo ſerius, ea cum latitudine, ut nonnunqam November adhuc flores, ſimulque maturas capſulas ſeminales offerat, ſi tempeſtas mitior fuerit, Chalepenſis autem in hybernaculis ſubinde floreat, utpote delicatior vulgari. Hæc enim poſt tot annorum apud nos commorationem dudum noſtras facta, nullo non anni tempore commodis mortalium favens, ſi vel maxime floribus deſtituitur, radice tamen ſua, atque ſemper virentibus foliis ſalutem ægrotis offert; digna proinde, cujus *principia*, & ex illis proficiſcentes multiplices *virtutes* data opera perſcrutemur.

§ 47. Majores noſtri, inverſo naturæ ordine, ex primis qualitatibus ſecundas atque tertias deducentes, ex forti tamen odore, & ſapore acri Rutæ magnam calefaciendi, ſiccandique facultatem tribuebant; incerto interim animo fluctuantes, num ſiccæ quartum, viridi autem tertium caliditatis gradum aſſignare deberent, an etiam ſemen fervorem herbæ, radicis & floris ſuperet? ſæpius non ſuis magis ſenſibus, quam aliorum, calidiora climata incolentium, relationibus fidentes: unde facilis ad exceſſum afferendum lapſus erat; inprimis, ſi ſylveſtrium temperamentum cum hortenſi confunderetur. Hujus autem qualitates iſtis mitiores eſſe, minusque activas in regionibus ſeptentrionalibus, quam meridiei propioribus, naſci, ratio & effectus docent: ut proinde noſtratem in tertio caliditatis atque ſiccitatis gradu ſubſiſtere poſſe credamus, ſi in Græcia, Hiſpania & Italia ad quartum aſcendit.

§ 48. Cum autem, in cauſas temperamenti hujus plantæ inquirentes, haud ita commode & ſufficienter ex mi-

ſtura

ſtura ſive craſi 4 elementorum eas explicare queant, ut animus, ſciendi avidus, audiens ignis caliditatem, terræque ſiccitatem hoc loco præpollere, & ambo reliquorum elementorum, aquæ ſcil. atque aëris frigiditatem & humiditatem ſuperare, mixtumque calefaciendi & ſiccandi facultate præditum efficere, ſtatim acquieſcat, nec ulterius quærendo inſtet: *quis* & *qualis* iſte ignis ſit? & ideam ejus ſibi clarius exhiberi poſtulet: hinc factum eſt, ut plerique alii, quibus innitendo hiſce fundamentis ſolis hoc ipſum præſtitu impoſſibile fuit, alia breviori via ſemet expedituri, ad hypoſtatica chimicorum principia confugerint; utpote ita comparata, ut, licet a præcipuis quibusdam viris acriter impugnata, & elementorum nomine indigna habita ſint, hactenus tamen, legibus mechanicis accommodata, ad explicationem naturalium phænomenorum ſatis apta fuerint, & ideo tam diu retineri debeant, donec alia, primorum initiorum titulum rectius gerentia, prodierint, quæ & intellectum præſentiæ ſuæ in mixtis per rationes certius convincant, & ſimul ſenſibus externis analogum quid ſuæ eſſentiæ videndum, odorandum, guſtandum, palpandumque offerant, ſicuti Chimici per ſal, ſulphur, mercurium, aquam & terram, a natura partim, partim ab artifice producta, ceu per ſubſtantias *principiatas*, ut vocant, nobis ideas ipſorum *principiorum*, in dictis concretis præcipue eminentium, exhibuerunt.

§ 49. Horum igitur hypotheſibus pro tempore inſiſtentes, Rutam noſtram multo ſulphare pollere dicimus, cujus bona pars a mercuriali elaſticoque principio, ſalino ſcilicet volatili explicata, major vero ejus copia a fixiori ſale, firmiter cum terra, per interveniens humidum, (ſalibus una cum æthere agilitatem præbens) intime remixta eſt. De hiſce elementis gravis odor pariter ac acris ſapor, una

cum

cum viribus teſtantur. Feriunt enim ſalinæ volatiles particulæ confertim, & cum aliqua moleſtia, narium membranas, quas tamen, cum a multo ſulphure quaſi obvolutæ ſint, non cum tanto morſu adoriri queunt, ut alcalinæ ſpiritus urinæ atque cornu cervi, aut, his multo ferociores, acidæ exhalationes ſpiritus ⊖li volat. aut clyſſi ſulphurati, ſimilesque hiſce atque illis aliæ, ramoſis ſulphuris atomis minus implicatæ, facere ſolent.

§. 50. Quod ſi vero ſulphureæ moleculæ Rutæ per deſtillationem a ſalinis fixis atque terreis liberantur, & in formam olei coacervantur, aut una cum fixis ſalibus, per fermentationem, ad ſalis volatilis oleoſi ſubtilitatem explicantur, tunc illud energiæ ſuæ multo evidentiores, hoc autem vix tolerabiles notas olfactus inſtrumentis imprimit.

§ 51. Similiter papillæ quoque linguæ, hujusque & palati tunica nervoſa, ceu guſtus potiora ſubjecta, ab his longe inſuavius afficiuntur, quam ſi recentis aut ſiccatæ Rutæ radix, folium, flos aut ſemen maſticantur; quæ, licet manifeſte dictas partes mordeant, ſalivamque ex vicinis ſuis fontibus alliciant, & ſimul ingrata quadam, auſteritatene dicam, an amaritie? internam oris membranam criſpent, & quaſi ſtringant, haud diu tamen ita moleſta manent: quia vel cum collecta copioſa ſaliva exſpuuntur, vel deglutita in ventriculum demittuntur. Cum contra ea unica olei guttula, linguæ inſtillata, per horas aliquot oris cavitatem infectam teneat, ſalis autem volatilis granum triſtem roſionis ſenſum excitet. Ut proinde ab hiſce & ſimilibus, per artificium productis qualitatibus, non æque ad nativum herbæ temperamentum conſequentia valeat, nec ab hoc paria iſtis phænomena adverſus morbos expectari queant.

§ 52. Serio itaque hic optandum eſſet, ut ſingulorum, Rutam noſtram componentium, elementorum quantitatem non ſolum, & ſpecialem inter ea a natura conſtitutam proportionem definire, ſed figuram etiam, & ex hac atque mole, cuilibet propria, dependentem mobilitatem, impellendique, & impellentibus aliis reſiſtendi & cedendi potentiam ſecundum medicas, mechanicas, ſtaticasve regulas æſtimare valeremus, ut ex comparatione eorum cum craſi humorum corporis humani, agendi modus patefieret, & *quid*, *quantum* ac *quomodo* Ruta ſimplex pariter, ac in diverſas formas immutata, in juvanda lædendaque ſanitate præſtet. Hac enim ſumme utili, & optanda magis, quam ſperanda Theoria, ſi inſtrueremur, non æque cum majoribus noſtris a poſteriori ſaltim, & ex effectu de temperamentis medicamentorum diſſereremus, & facultates eorum per meram πεῖραν (quam dudum Hippocrates in Aph. I, S. I, σφαλερὴν, *dubiam*, *inconſtantem*, *incertam*, imo *fallacem*, *periculoſam* & *nocuam* pronunciavit) indagantes, centum fallacias non cauſæ committere, & caligantes aliorum aſſertis fidem habere cogeremur.

§ 53. Clariſſimum imperfectæ rerum naturalium notitiæ, ex defectu genuini cognitionis fundamenti natæ, argumentum noſtra herba exhibet, cujus virtutes, a Dioſcoride prolixo catalogo recitatas, Matthiolus Italus non ſolum, ſed Germanus etiam Cornarius, ut alios jam non attingamus, nobis laudare, ſuisque additamentis amplificare laborarunt: cum tamen eorum neuter nos certiores faciat, num Autori ex propria, aut potius aliena experientia dictorum veritas innotuerit; uterque autem cogitare debuiſſet, quæ græcorum corporibus conveniſſe deprehenſa ſunt, non eadem ratione noſtris ſalutaria exiſtere.

ſtere. Hoc ipſum vero, quoad rutam prorſus manifeſtum eſt, ideoque dudum § 47, de noſtratis temperamento locuti, eam multum ab illa græca diſcrepare affirmavimus. Quamvis enim ipſe Anazarbenſis hortenſem mitiorem montana & ſylveſtri, (utpote adeo acri, ut eam, ad muriæ condimentum colligentium manus & faciem, cum vehemente prurítu, inflammet, multamque comedentes enecet) ſtatuat, ambas tamen *urendi* & *exulcerandi vim* habere aſſerit, quorum neutrum de noſtra metuendum eſſe conſtat. Ut proinde nemo nobis vitio vertet, ſi, ab Agyrtarum moribus alieni, in ejus virtutibus deprædicandis ita nos geremus, ut neque eas cum Hermanno Trago tantas judicemus, quæ deſcribi nequeant, & cum Theodoro *integras 19 paginas in folio*, ut vocant, iisdem, ex Medicorum, Poëtarum & Hiſtoricorum ſcriptis, vulgique relationibus corraſis, impleamus; neque contra ea, cum Schrœdero & aliis, eas paucis tantum, nimisque brevibus lineis includamus: ſed mediocritati potius ſtudentes, cum omnino crambem, decies coctam, recoquere teneamur, id tantum agamus, ut uſus, & varios, a majoribus noſtris traditos præparandi & utendi modos, novis & hodie receptis augeamus.

§ 54. Quod ſi igitur veteribus *Rutam veſcam* fuiſſe legimus, neutiquam eam, inſtar oleris alicujus, fami ſedandæ, ſed excitandæ potius inſerviiſſe credimus: cum illaudabilis conſuetudo, per acria embammata, naturam, paucis contentam, ad plus juſto edendum ſtimulandi, ad nos usque fluxerit. Apparet hoc ex eo, quod muria flores & immaturas capſulas ſeminales condiebant; quorum loco hodie cucumeres & immaturæ olivæ ſalſura excipiuntur, aut ſemen ſinapi, radix armoraciæ, herba cochleariæ cum aceto apponuntur, iisque innumeræ ſpecies acetariorum,

a guloſis hominibus ex radicibus, herbis, floribus, fructibusque paratorum, adjunguntur. Occaſione iſtiusmodi ſalivam moventium ferculorum, in mentem nobis venit, num, quæ de Ruta a Dioſcoride afferuntur, *eam in cibo & potu genituram extingvere*, de cruda, ejusque ſucco aut decocto, an potius de ea, in acetaria converſa, accipienda ſint, *virtusque antivenerea* ab aceto magis, quam herba hac, ſuo ſulphure, a ſale admodum explicato, ὀργασμὸν non ſupprimente, ſed excitante derivari debeat. Noluimus equidem aliorum experimenta, decenter inſtituta, in dubium vocare: id tamen nequaquam reticendum eſt, quod autoritati tot ſcriptorum nimium fidentes, nos ſpes miſere fefellerit, ut & tres quatuorve juvenes ſangvineos & cholericos a ruta minime caſtos factos viderimus, & e contrario unus alterque phlegmaticus, antea torpidus & quaſi inermis, poſt folia rutæ, mane cum butyro adverſus caliginem aliquamdiu comeſta, de ſtimulo ad carnis prælia conqueſtus ſit. Ut proinde non in omnibus ſubjectis locum inveniat, quod de ejus antaphrodiſiaca facultate circumfertur, a nimio ejus calore, vel, ſi mavis, a ſale volatili oleoſo, ſemen ita attenuari, ut per ἄδηλον διαπνοὴν ex genitalibus exhalet, eaque ſic tono ſuo orbata relinquat; cum ſimilis fabula de camphora, per aliquot ſecula decantata, eundem apud cordatos aſſenſum hoc tempore nanciſcatur.

§ 55. Præter citatas intentiones, ad alios quoque uſus cruda herba adhibetur. Sic apud Serenum Sammonicum Mithridatem

bis denum Rutæ folium, ſalis & leve granum,
juglandesque duas, totidem cum corpore ficus
mox oriente die, parco conſperſa Lyæo

ſumſiſſe legimus, ut ſcilicet adverſus venena, a matre metuen-

tuen-

tuenda, tutus eſſet. Ad hujus imitationem multi, ut contra contagium infectæ athmoſphæræ ſe muniant, Rutam cum butyro jejuni ſumunt; cujus loco alii *Conſervam*, ex foliis minute conciſis, & cum æquali pondere ſacchari Canarienſis probe in pultem contuſis, paratam malunt, ut linguæ ſaporem gratiorem efficiant. Sic etiam *acrimonias, ab allio & cepis* inductas, melius ſedaret, quam ſi, Dioſcoridis juſſu, *cruda* manducaretur: cum quomodo ea, ſibi relicta, talismodi effectum edere valeret, haud perſpiciamus.

§ 56. Dum porro a Dioſcoride folia per ſe, aut ſecundum formulam Mithridatis, fere totam ab ipſo repetitam, ſumta, nec non ſemen, ad acetabuli menſuram, cum vino bibitum, *lethalia medicamenta inefficacia reddere* dicuntur, virtus iſta alexipharmaca non ultra animalium venena, ad mineralia quoque, maxima ex parte per eroſionem viſcerum agentia, extendenda eſt. Id quod autorem ipſum innuiſſe putamus, quando modo dictas Rutæ partes, ſimiliter acceptas, adverſus ſerpentes prodeſſe ſcribit. Ab aliis peculiariter *ad morſus brutorum rabidorum* laudatur, & in pulvere Jac. Sylvani, a Julio Palmario edito, primum locum obtinet, ut ex p. 270 Quadrip. Bot. S. Pauli, & Pharmacop. Lond. ſub titulo *Pulveris Antilyſſi* liquet: cujus vires, quod obiter notamus, D. D. Præſes plus ſimplici vice in deliriis hypochondriacorum & hyſtericarum, nec non in faſcinatis egregias deprehendit.

§ 57. Num, ut Schrœderus loquitur, *præcipue* in peſte, aliisque affectibus malignis præſervandis ac curandis valeat, nos in medio relinquimus, nec ideo ſtatim aſſerere audemus, quia Electuarium alexipharmacum, Francofurti aliquando in peſte ſæviſſima ſalutare deprehenſum, ℥iß foliorum ingrediuntur; cum arduum ſit definire, quantum virium in-

 de

de toti medicamento acceſſerit, quod 34 unciæ ingredientium, & libræ octo excipientium conſtituunt. Quamvis autem Ruta nec in Mithridatium Damocratis, nec in Theriacam Andromachi, aut Londinenſem, famoſa iſta malignitatem oppugnantia remedia, recipiatur, ſua laude tamen defraudanda non eſt, cum Aquam theriacal. Lond. & antipeſtil. Bonacurſii, ſemen vero & flores Tincturam bez. illuſtris VVEDELII, *Præceptoris, Patroni & Promotoris noſtri devenerandi*, ingrediantur.

§ 58. Tædioſum foret B. L. nobisque & typographo laborioſum, ſi ea, qua cœpimus, prolixitate reliquas vires explicare vellemus: quare arctiori diſcurſu, quod reſtat complectemur, a capite ad inferiores corporis regiones deſcenſuri. Ex elementis igitur herbæ manifeſtum eſt, cur *capitis dolorem* ſopiat externe applicata, ſive is a viſcida & ſtagnante lympha, quam *frigidam cauſam* vocant, ſive a *calida*, ex febre & crapula, motuque humorum, vaſa nimis expandentium, oriatur. Ibi enim reſolvendo & calorem vitalem roborando cauſam tollit; hic autem poros aperiendo viam materiæ vitioſæ exhalandi pandit, tonumque fibrarum roborat, ne ultra modum ſeſe tendi patiantur. Quibus accedit, quod plerumque in nimis calentibus cum aceto mixta adhibeatur, quod motum ſanguinis ferociorem compeſcere valet.

§ 59. Ex herbæ citata reſolvendi vi fluit, ſine dubio, *doloris oculorum mitigatio*, ſi cum polenta imponitur; quorum caligini eam crudam pariter ac conditam, ejusque & fœniculi ſuccum cum melle illitum, mederi Dioſcorides, nulla adhibita limitatione perhibet: cum tamen exempla hominum bilioſorum & ſcorbutico ſanguine ſcatentium proſtent, ſerio affirmantium, ſibi a Ruta (forſan largiori manu) imbecilli viſus cauſa, per menſes aliquot comeſta,

ſta, oculos, ex inflammatione, ad uſum ineptos evaſiſſe. Loco ſucci autem, tum ſolius, tum cum melle miſti, morſuque ſuo oculis admodum moleſti, novimus aquam, ex tota planta, fœniculo, euphraſia, chelidonio maj. & melle per veſicam pulſam, ſatis efficax remedium, pro re nata, per injecta camphoræ fruſtula roborandum, contra dolorem, hebetudinem, calidamque intemperiem evaſiſſe, ut parum aquis communitatis Schrœderi, & a Porta Mag. Nat. ad ophthalmiam ac ſuffuſionem commendatis ceſſerit.

§ 60. *Auribus male habentibus* ſuccum, in malicorio calefactum, infundere jubet Dioſcorides; ſed conſultius eſt, eundem goſſypio exceptum adhibere: cum, quas moleſtias rudes ſuccorum, oleorum, urinarum &c. infuſiones membranæ tympani, delicatoque organo ſubinde crearint, vix ullum Practicum latere putemus: qui ideo, proſtantibus melioribus magisq; efficacioribus remediis, a crudioribus iſtiusmodi recte abſtinere ſolent. Id quod etiam de *hæmorrhagia narium*, per Rutam tritam, ipſisque intruſam compeſcenda, ſtatuendum videtur. Neque enim ea juvabit, niſi fluxus a laxitate vaſorum dependerit, ut tonus debilis a ſale ſulphureo fortificetur, & ab ejus acrimonia fibrillæ criſpentur, ipſæque contractæ tunc ſanguinis curſum remorentur. Poſſemus etiam eundem effectum a mole herbaceæ turundæ, meatum naſi opplentis, derivare, ne forſan evidentiorem virtutis iſchæmæ cauſam a nobis poſtulantem ad *occultam* aliquam & ſpecificam qualitatem ablegare cogeremur.

§ 61. Qui *tormina ventris* a Dioſcoride per decoctum, ex Ruta & anetho ſicco paratum, ſublata audivit, & eadem facilitate, *lateris & thoracis dolorem* (per quem Schrœderus *pleuritidem* intelligit) *tusſimque* & *aſthma*, *ac peri-*

pnev-

pneumoniam, cum iſchiadico & articulorum dolore, rigoribusque per circulum repetentibus, curari poſſe credit, ſuo tempore animadvertet, ſe nimis curta armorum ſupellectili adverſus tot, &, ex parte, ingentis momenti morbos inſtructum eſſe, fruſtraque tyrones praxeos per talismodi inſufficientem medendi methodum a magni nominis Autoribus circumduci, ut ſubinde per fallacem ſucceſſum curationis ad deſperationem adigantur.

§ 62. Quæ remedia ad *ventriculi atque uteri vitia*, & ab alterutro horum, vel utroque ſimul excitatas *ſtrangulationes* ex Ruta deſumuntur, omni laude digna ſunt, dum externe etiam applicata ſuo officio funguntur: modo, pro interno uſu, a nauſeoſis decoctis, diffuſis pulveribus & ingratis electuariis, antiquis Medicis, eorumque veſtigia legentibus Galenicis, nimis familiaribus abſtinuerimus, iisque eſſentias, extracta, & ſimilia, in ſequentibus recenſenda concinniora, inque doſi exigua multum operantia ſubſtituerimus, quæ nimirum in remotas facultatis vitalis, animalis & genitalis officinas ſuas vires diffundunt, ut tamen naturalibus organis, per quas tranſeunt, parcant, & neque ori abominabili ſapore, neque ſtomachi tono mole inundante oneroſa evadant.

§ 63. Antequam ad recenſionem modo tactorum medicamentorum, ope Chimiæ potiſſimum ex herba noſtra producendorum devolvimur, duo adhuc phænomena examinanda ſunt, contrarios effectus, per pauca interjecta verba a Dioſcoride ſejunctos, concernentia, quæ tamen ex uno principio, diverſimode in diverſa objecta agente, fluunt. Movet enim Ruta *urinam*, dum ſale ſuo ſerum ſolvit, & ad excretionem diſponit, viasque ſtimulat, & vi balſamica viſcera, inutilis ſeri ſecretioni & propulſationi dicata, roborat, eadem que ratione, verbis modo

citati

citati autoris, *tum in cibo, tum in potu ſumta, alvum ſiſtit*, quando ſcil. inteſtina ex imbecillitate & depravata coctione, contenta crebrius dimiſerunt, & poſtmodum per medicamentum antiquam retinendi facultatem recuperant: vel ipſis ab herba hac diuretica humidum neceſſarium ſubtrahitur, & ad renes allicitur.

§ 64. Adduximus hæc exercitii magis gratia, quam ut alicui Rutam ſub titulo præcipui diuretici aut diarrhæam curantis remedii obtrudamus; cum alia, ſi non meliora, ſvaviora tamen, proſtent. Id quod etiam de virtute *anthelminthica* valet: quæ autem *de travmatica*, *contra vitiliginem albam*, *thymum*, *verrucas formicarias*, *impetiginem*, *ignem ſacrum*, *herpetem*, *ulcera capitis manantia*, *carbunculos* &c. afferuntur, vix hodie amplius atenduntur, cum vulneribus balſama, reliquis autem vitiis externis ☿lia, ♀rea, ⊖naque varii generis efficacius opponantur.

§ 65. Ingenti Diatribe noſtra incremento augeretur, ſi cunctas formulas medicamentorum, in diverſas officinas receptorum, quorum partem integrantem noſtra herba conſtituit, perluſtrare vellemus, ut exempli gratia per *aquam pectoralem Hoernigbii*, *extractum chalybeatum*, & *hyſtericum*, *antidotum hæmagogum*, *electuarium de baccis lauri*, *trochiſcos de myrrha*, *pilulas fœtidas*, *ſpiritum lumbricorum magiſtralem Londin. ſirubum de pæonia*, *oleum hirundinum Lond. unguentum nervinum*, multaque alia, bene nota compoſita, virtutes ejus pectorales, hepaticas, uterinas, nervinas &c. probaremus, cum actum ageremus, & ex § 57 haud inefficax objectio contra nos formari poſſet. Promtius igitur, ad finem properantes, nos expediemus, ſi, ſecundum § 63, potiora, & potiſſimum ex ipſa Ruta concinnanda auxilia nominabimus.

§ 66. *Aquæ*, ex ruta & aliis compoſitæ § 59 mentionem fecimus: nunc ſimplex, ex tota herba per veſicam pulſa, conſideranda eſt, quia particulis ſalinis & ſulphureis imbuta, odore ſuo & ſapore de viribus, cum toto concreto ſibi communibus, teſtatur, locumque medicamenti interni pariter ac externi tuetur; cum ſola bibi, reliquis medicamentis vehiculum, capitique & aliis partibus epithema præbeat. Hæc etiam ſimul *oleum*, § 50 & 51 citatum, ſecum evehit, quod præſtantiſſimis cephalicis, cordialibus, uterinisque qualitatibus refertum, commode cum ſaccharo & oleo nuciſtæ expreſſo in *elæoſaccharum* & *balſamum* mutatur, quorum illud interno, hoc externo uſui aptum eſt.

§ 67. Qui rutæ deſtillandæ, præter aquam, nil admiſcent, ex capite mortuo expreſſo & colato, hinc co&#x1F;cto & diligenter deſpumato *Rob* non contemnendum conficiunt, cui tamen illud præferendum eſt, quod ex ſucco recentis herbæ per chartam filtrato paratur. Hic enim, niſi cum æquali vel duplo pondere ſacchari in *ſirubum* converſus fuerit, lenta ſuper ignem inſpiſſatione conſiſtentiam ſtabilem acquirit, unde *pilulæ* formantur, quæ tamen, niſi corpora ſicca & terrea admiſceantur, minus durabilem habitum retinent, & ab humido aëris liqueſcunt. Vocant nonnulli ſpiſſum talismodi ſuccum *extractum*, per quod alias *eſſentia*, ex Ruta, per ſpiritum vini ſola digeſtione evoluta, & poſtmodum per abſtractionem menſtrui in MB coagulata intelligitur.

§ 68. Pollent hæc enumerata artis producta melioribus particulis, per quas noſtrum vegetabile tot ſalutares uſus præſtat; quas dum nonnulli plusquamperfectas reddere laborant, eas in aliud ferme ens immutant. Ita magnam quantitatem totius plantæ contuſam ad putredinem fere

fer-

fermentant, ut per ignem *liquor volatilis* & admodum acris, ſed ingratiſſimi odoris & ſaporis inde prodeat. Alii ex oleo ♄to cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, momento citius *eſſentiam*, & cum ⁓ * Φλογιστῷ (quem perperam vinoſum vocant) *ſal volatile oleoſum* conſtruunt, & hiſce magnos equidem effectus in multis morbis, ſed non eosdem tamen, quos ipſa ruta ſolet, edunt. A quibus etiam *ſal fixum*, ex cineribus extractum, ſatis remotum eſt, niſi particulis quibusdam ſulphureis fixis adhuc imbutum fuerit. Illud enim, quod inſtar arcani duplicati ſplendet, & in pellucidas cryſtallos quocunque modo & loco coaluit, nec alcali amplius eſt, nec de nativa indole quicquam reliquum habet.

§ 69. Reſtant duo pervulgata prorſus medicamenta, *oleum* nimirum *olivarum* & *acetum vini*, rutæ nomen & multas vires per meram inſolationem, aut commorationem in loco calido adepta. Illud certe ad litus nervinos, uterinos, carminativos, & injectiones contra inteſtinorum & uteri morbos frequentiſſime adhibetur: Hoc autem ad epithemata capitis, & odoratum hyſtericarum, aut aëris corruptionem metuentium &c. ſerio expetitur. Quid tandem de *Peganite*, ſive muſto, poſt fermentationem cum ruta, in vinum peſſimi ſaporis mutato dicemus? Linquemus iſtud duris meſſorum iliis, qui cum Horatio vile Sabinum modicis bibunt cantharis; nos enim Cæcubum & prelo domitum Caleno vinum, Falernaque vite & Formianis collibus temperata pocula libentius hauriemus.

D. S. L. H. E. G.

PHarmaca qui norit morbis aptare decenter,
Docto igne & methodo, verus is eſt medicus.
Contra vim mortis creſcit Medicamen in hortis,
Dummodo conſentit gratia ſumma Dei.
Indidit hic vires plantis, quas noſcere par eſt;
Felix cui recte contigit illa ſalus.
His tinctum ingenium non dona minora minatur,
Quam diris morbis nobilis herba ſolet.

Nobiliſſimo Doctorando ex animo gratulatur, & proſperrimos ſucceſſus apprecatur

GEORGIUS WOLFFGANGUS WEDELIUS, D.

SIc juvat optatam ſtudiis contingere metam,
Nec vixſti priſcis inficiandus avis.
Tempora Pieridum ſacris complura dediſti;
Artis Apollineæ maxima cura fuit.
Jam quoque de Ruta loqueris DOCTISSIME CURTI,
Quæ ſuperat meritis gramina cuncta ſuis.

Hi

Hinc edunt plauſus læto de corde ſodales;
Ipſemet hinc illis gaudia jungo mea

Jo. Hadrianus Slevogtius
Med. D. & P. P.

COnſcendis cathedram, medicas rutæque virentis
Virtutes monſtras, & Tua ſic patefit.
Quæ vireat ſemper, capias & præmia plura,
Quæ tibi pro meritis noſter Apollo parat.

Fauſtæ gratulationis ergo ſcripſit

IO. ADOLPHVS VVEDELIVS
Med. D. & P. P.

WAnn ſchon ein prahlendes und falſches Läſter-Maul/
Sich wil vor anderen mit eignem Lob erheben/

Und mit dem breiten Witz / der gleichwol träg
und faul
Dem ſo es treulich meint / nur ſucht Verdruß
zu geben /
So lach ich meines Orts / und weiß mich kaum
zu halten /
Weil nichts als Prahlerey in ſeinen weiten
Falten:
Jedoch LIEBWERTHESTER / diß trifft
bey dir nicht ein /
Wo Weißheit und Verſtand den beſten
Wohn-Platz haben /
Da weicht die Thorheit weg / da muß Miner-
vens Schein
DICH / der du es verdient / mit ihrem
Reichthum laben:
Denn wer mit gleichem Ruhm / wie du / in Eh-
ren pranget /
Der hat den Doctor-Hut nicht unverdient
erlanget.

Dieſes wenige ſ tzte ſeinem Hertz-
geliebten Bruder glückwün-
ſchend hinzu

deſſen ergebenſter

Johann Tobias Curtius, Med. D.

Cur-

CUrtius immenſum moriendo profuit olim,
Sed Tu vivendo commoda plura dabis.

Hiſce animum ſuum teſtatur
deditiſſimus

G. B. Hankius.
Siles.

QVas Tua jam profert theſes non curta ſupellex
Judicii laudes ingeniique probant.

Pauca hæcce Clariſſimo Domino Doctorando Honores ſummos capeſſenti gratulabundus apponebat

deditiſſimus

Joannes Jacobus Straskircheus.
Ratisbonenſis Med. Cand.

EN! tua Ruta graves per campos ſpirat odores:
Eſt odor hic famæ ſtabilis usque tuæ:

Ruta

Ruta viret ſemper, foliis lætisque ſuperbit?
  Commeritus ſtudiis nonne virebit honor?
Ruta curat, virus quoque faſcina tollit:
  Invidiæ virus num Tibi damna feret?
Faſcinat, en! multos aſinus ſub pelle leonis;
  Infidus & laudes ſplendor ab extra parat:
His oculos reddas, medicas qui intelligis artes.
  Ruta Tibi, lætor, præmia fertque feret.

In amoris & obſervantiæ teſſeram ſcr.

Jo. Caſp. Gemeinhardt.
Laub. Hex. Opponens.